

cum pacto retrovendendi? Resp. I. Emptio venditio, quæ fit cum pacto retrovendendi in gratiam venditoris, licita est tam canonico, quam civili jure. Ita communissima tam theologorum, quam canonistarum, ac legistarum, signanter Molina, disp. 375, n. 2; Lessius, l. II, c. XXI, n. 113; Azorius, p. III. *Variar. resolut.* cap. VIII, n. 3, § *His sane*; Fachin., lib. II. *Controv.* cap. XII; Pirhing, h. t. n. 21; Berlich., part. II, concl. 1. et 2. cum aliis contra non paucos apud Gonzalez, in c. v. h. t., n. 3. Et quidem de jure civili aperte constat ex l. *Si fundum*, 2. c. de *Pactis inter empt.* ubi pactum hoc declaratur, approbatur, et actio ex eo conceditur. De jure canonico patet ex c. *Cum Joannes*, de *Fide instrum.* ubi quædam venditio ædium sub hoc pacto facta dicitur conditionalis (conditione improprie sumpta pro modo) vique illius pacti domus adjudicatur emptori. Idem patet ex extravag. *Regimini*, 1. et 2. h. t. ubi expresse ut licita approbatur emptio venditio cum pacto retrovendendi, seu redimendi.

285. *Non bene probatur ex Scriptura*, Levit., xxv. — Probant alii, ut Pirhing, loc. cit. conclusionem etiam ex Scriptura, *Levit.*, xxv. ubi filiis Israel non aliter, quam sub redemptionis conditione, seu cum pacto retrovendendi possessiones suas vendere conceditur. Verum, ut bene observat Gibalin., lib. IV. *de Negot. hum.* cap. v, art. 3, n. 2; locus ille Scripturæ non facit pro conclusione, vi enim illius textus, fructus ab emptore interea percepti, debent computari in pretium, quando postea revenditio fit; dicitur namque ibidem, §. 26. « Sin ipse (qui possessiones suas vendidit) pretium ad redimendum potuerit invenire, computabuntur fructus ex eo tempore, quo vendidit: et quod reliquum est, reddet emptori, sicque recipiet possessionem suam. » Juxta conclusionem vero nostram, fructus in pretium non computantur, sed acquiruntur emptori tanquam domino. Hinc pro assertionis nostræ probatione adducendus non videtur allegatus Scripturæ textus. Quod si contra nos objiciatur, respondetur eum non esse juris divini naturalis, sed positivi, qui una cum aliis judicialibus et cæremonialibus per legem gratiæ abolitus est.

286. *Ponitur alia probatio*. — Probatur conclusio etiam ratione. Quicumque potestatem habet rem suam vendendi, vel non vendendi, habet etiam potestatem eandem

vendendi certa cum limitatione, conditione, modo, pacto, conventionem, etc., dummodo cæteroquin servet æqualitatem inter pretium et mercem, nec exinde alii faciat injuriam, nullamque violet legem humanam, aut divinam: « Nam suæ quisque rei moderator, atque arbiter existit, » l. *In re mandata*, c. *Mandati*, et non tantum de jure civili, l. I. ff. *Depositum*; sed etiam canonico, reg. 85. jur. in 6. « Contractus ex conventionem legem accipere dignoscuntur; » atqui per venditionem cum pacto revendendi nulli fit injuria, nullaque violatur lex divina, vel humana, debitaque (ut supponitur) servatur æqualitas: ergo.

287. *Solvitur instantia, ex c. v. h. t.* — Obiciunt adversarii c. *Ad nostram*, 5. h. t. ubi reprobata reperitur emptio venditio cum pacto retrovendendi, concordat c. *Illo vos*, 3. de *Pignor*. Sed respondetur cum communi, per cit. c. non damnari emptionem; quia cum pacto retrovendendi; sed quia cum talibus circumstantiis celebrata est, ex quibus prudenter colligi poterat eam affectu et animo usurario factam, consequenter palliatam usuram fuisse, uti patet legenti textum.

288. *Ut licite fiat hoc pactum, debet abesse omnis animus usurarius*. — Notandum siquidem, prætextu emptionis cum pacto retrovendendi facillime committi posse et non raro committi palliatas usuras. Hinc doctores ad hoc, ut hujusmodi emptio licite fiat, principaliter requirunt, ut contrahentes vere emere et vendere intendant, nihilque animo usurario agant; hic enim ubi adest, procul dubio contractus illicitus est. Unde autem colligi queat, pactum hoc, animo usurario fieri, plura quidem a doctoribus congeruntur signa, uti videre est apud Berlich., qui p. II, concl. 1, quadraginta hujusmodi signa affert. Menochius quoque lib. III, *Præsumpt.* 122, non pauca congerit. Nos cum Abbate et aliis ea adducemus, quæ ex c. *Ad nostram*, 5. h. t. et c. *Illo vos*, 4. de *Pignor*, habentur.

289. *Signum animi usurarii est, si emptor nimis vile pro re det pretium*. — Primum itaque signum animi usurarii est, quando emptor nimis vile pretium pro re offert, ita ut certus quasi sit venditorem iterum redempturum rem venditam. Ita faciebat positus in cit. c. v. h. t. qui pro domibus et olivis dedit « sexaginta uncias tarenorum, quæ vix dimidiam partem justii pretii contingebant. » Quapropter Pontifex illum usurarie egisse judicavit; et merito: cum enim hic emptor

optime sciret venditorem hoc tam vili pretio iterum redempturum, prudenter et juste de illo præsumi potuit, eum ideo solummodo pretium expendisse pro domibus et olivis, ut interea per aliquos annos fructibus illorum frui, et simul post certos ibidem specificatos annos, integrum pretium suum denno recipere posset. Quod in re aliud non est quam si idem pretium mutuum ad tempus ea conditione dedisset, ut interea fructibus rerum mutui frui posset.

290. *Potest tamen minus ordinario justo dare pretium*. — Dicitur autem notanter « nimis vile pretium, » quale est, quod vix attingit medietatem, arg. cit., c. v, h. t. Nam, ut cum aliis bene observat Abbas, in cit. c. v, n. 9, non ex quavis tenuitate, vel modicilate pretii desumi posse emptorem usurarium, sed debet esse « valde tenue, seu nimis vile. » Ratio est, quia in venditione cum pacto retrovendendi, nec emptor dare tenetur nec venditor exigere; vel accipere potest tantum pretium, quantum in aliis venditionibus; sed debet descendere ob onus et obligationem retrovendendi, quam emptor imponit: ob hanc enim res merito minoris aestimatur, quam si absque simili obligatione venderetur; uti cum citato Abbate docet communissima, imo teste Friderich, n. 467, ferme omnes, arg. l. *Fundi partem*, 79. ff. de *Contrah. empt.*

291. *Si emptor nimis utile sibi paciscatur tempus signum præbet usurariæ mentis*. — Secundum signum esse potest, quando emptor pro modico obiato pretio, nimis sibi utile tempus retrovendendi paciscatur; ut si v. g. vi pacti venditori ante septennium non liceat, et post novennium non amplius posset redimere; qualiter rursus fecit iniquus emptor in sæpe cit. c. v. h. t. et judicio Abbatis, loc. cit. propterea principaliter judicatus est, animo usurario lucrandi fructus emisse.

292. *Sicut etiam, si postulanti mutuum offerat emptionem cum pacto retrovendendi*. — Tertium signum est; si venditor prius postulavit mutuum, et emptor mutuum recusans, statim ad emptionem se offert cum pacto retrovendendi, arg. primum cit. c. h. t. in quo iterum reus fuit ibidem descriptus emptor. Verum hoc signum tam certum non est, quin fallere possit; cum multi ex rationabili causa mutuum recusare, et ad emptionem cæteroquin justam se offerre valeant, ut loc. cit. recte observat Abbas, patetque consideranti.

293. *Item si pro retrovenditione majus paciscatur pretium. Et si alias solitus est fœnerari*. — Quartum signum est; si emptor pactum retrovendendi offerens, alias solitus sit usuras exercere. Quintum si paciscatur, ut in retrovenditione majus eidem detur pretium, quam ipse emendo solvit. Quæ ultima duo signa habentur in c. *Illo vos*, 4. de *Pignor*. et communiter etiam a doctoribus adducuntur.

294. *An unum sufficiat, vel plura requirantur, ex præfatis, signa ad judicandum usurarium?* — Porro ab, et quando unum ex his signis sufficiat, item quando plura, vel quot requirantur, ad judicandum aliquem usurarium, arbitrio judicis relinquendum merito censent cum Covarruvia, Molina, disp. 375, n. 7; Caspz., part. II, constit. 1, defens. 2, n. 18. Si primum cum quarto, nimia videlicet modicilas pretii, cum consuetudine fœnerandi simul concurrant, nemo dubitat, quin usura lateat. Sunt, qui volunt ordinarie sufficere primum etiam solum. Quam opinionem in camera imperiali practicari testatur Mynsinger, centur. 3, observ. 62, eamque tanquam securiorem et communiorem præsertim apud canonistas merito suadet.

295. *Etiam in gratiam emptoris licite fieri potest*. — Resp. II. Etiam in gratiam emptoris licite celebrari potest emptio venditio cum pacto retrovendendi. Covarruvias, lib. III. *Variar. resolut.* cap. IX, n. 3; Molina, h. t. n. 33; Lessius, lib. II, cap. XI, n. 17. et communis aliorum tam textuum quam jurisperitorum. Ratio est, quia et talis venditio absque usura labe, et injuria tertii, consequenter licite fieri potest. Ut autem ita fiat, requiritur primo ut majus exigat pretium tempore retrovenditionis, quam ipse pro re expendit, arg. c. *Illo vos*, 4. de *Pignor*. Secundo ut dum ipse prius ita emit, majus det pretium venditori, quam ordinarium, consuetum, et justum. Ratio est, quia imponit venditori onus pretio aestimabile, obligationem nempe redimendi rem venditam, quando placuerit emptori. Nam sicut, dum per pactum retrovendendi in gratiam venditoris imponitur obligatio emptori, rem iterum revendendi, est onus pretio aestimabile, et propterea a venditore pretium minui debet, arg. l. *Fundi partem*, 79. ff. de *Contrah. empt.* Ita pariter si e contra emptor imponit venditori obligationem redimendi, onus pretio aestimabile est.

296. *Ponuntur quædam formulæ emendi*

cum pacto retrovendendi. — Ex hactenus dictis inferitur pro praxi, validas et licitas utroque jure esse sequentes emptionum venditionum cum pacto revendendi formulas, « Hunc agrum alias, ut vides, quadringentis florenis valentem, vendo tibi trecentis florenis hac tamen conditione, vel pacto, ut pro eodem pretio eundem mihi iterum revendas, quodcumque mihi placuerit: » vel: « ita tamen, ut si intra annum, aut duos annos idem pretium tibi obtulero, tu mihi revendere tenearis: tempore vero hoc elapso habeas liberam de eo disponendi libertatem. » Item licitum erit, si venditore rei venditionem cum pacto revendendi offerente dicat emptori, « Emam pretio petito, ita tamen, ut si intra decem annos non redimas, amplius redimendi non habeas potestatem. »

297. *Ponuntur quaedam illicitæ formulæ.* — E contra vero illicitos esse sequentes modos, si offerente venditore rem revendam justo pretio, dicat emptor: « Tanti emere nolo, dabo autem mediam hujus pretii partem, eodemque pretio rem hanc tibi iterum revendam, quando volueris: » vel si petente centum florenos mutuos, respondeat rogatus: « Mutuum dare non soleo; emam autem a te domum tuam, vel agrum (ponamus, quod de se valeat ducentis florenis) daboque pro illo petitos centum ac decem florenos, atque insuper concedam, ut eodem pretio redimere valeas, quando tibi placuerit: » vel si ipso venditionem cum pacto revendendi offerente, dicat emptor: « Sum contentus, ita tamen, ut ante octo annos non redimas, et post decem annos redimere amplius non valeas: vel, ita tamen, ut dum redimis, majus pretium offeras, » etc.

298. *Contractus mohatra, vel varatra, quid?* — Quæritur IV. Quid sit, et an liceat contractus mohatræ? Resp. Contractus mohatra (alias et varatra dictus) est, quo mercator, vel alius credito alicui vendit rem aliquam summo, vel etiam medio justo pretio, cum tali revendendi pacto, ut teneatur emptor eidem venditori pro minimo pretio consistente in numerata pecunia eandem rem revendere. Ita contractum hunc declarant Cardenas, in *Crisi theologica* ad propositionem quadragesimam inter damnatas ab Innocentio XI. Palao, disp. 5, punct. 33, et cæteri doctores Hispani, utpote in quorum patria multum vigeat iniquus iste contractus. Dum enim indigentes a mercatoribus pete-

bant mutuum; hi ut pœnas usuræ (quæ in mutuo potissimum exercentur) declinarent, loco mutui offerebant indigentibus, credito vendendas merces hoc pacto, et conditione, ut illas eidem venditoribus statim iterum, sed pro minori pretio, in numerata tamen pecunia consistente revendere possent, ac deberent. Quo fiebat, quod indigentes illico paratam pecuniam, mercatores autem sub titulo venditionis, lucrum illud habere possent, quod vi mutui, ob nimis manifestam usuram aperte conquirere, timore pœnæ non audebant.

299. *Non est licitus.* — Resp. II. Mohatra vel varatra est contractus omnino illicitus. Ita hodie unanimis et certa; eo quod ut talem declaravit Innocentius XI dum inter alias etiam hanc n. 40 propositionem damnavit: « Contractus mohatra licitus est, etiam respectu ejusdem personæ, et cum contractu retrovenditionis præviæ inito cum intentione lucri. » Ratio est; quia ut considerandi patet, palliatam continet usuram.

300. *Arrha, quid, a quo, et quando detur?* — Quæritur VII. Quid sit arrha, et quid juris circa eam? Resp. I. Arrha, seu arrhabo est id, quod ante solutionem totius pretii ab emptore datur venditori in confirmationem contractus facti, vel in securitatem faciendi. Quamvis enim regulariter loquendo arrha detur in signum et confirmationem contractus jam facti, *Instit. h. t. prin. ibi*: « Quod arrhæ nomine datur, argumentum est emptionis, et venditionis jam contractæ: » tamen etiam subinde in securitatem contractus faciendi, sed potius perficiendi datur, arg. § 1. ad finem, *Instit. h. t. et l. Contractus. 17. c. de Fide instrum. juncta l. XI. § 6. ff. de Action. empt.* Sic. v. g. dum contrahentes emptionem venditionem in scriptis fieri volunt, dare interea possunt arrham, donec contractus erectione scripturæ perficiatur. Pariter dum suspenditur perfectio contractus, donec pretium ab aliis taxetur, vel donec socii, vel alii consentiant, dari interea potest arrha. Datur autem regulariter ab emptore venditori, et non e contra, § 1, *Instit. h. t. et l. Contractus. 17. c. de Fide instrum.* potest in pecunia, vel in alia materia consistere, l. *Ex empto. 11. § Is qui vina, ff. de Action. empti.* Aliquando datur pro ea quaedam pars ipsius pretii postea computanda, in pretium l. fin. ff. *de Lege commiss.* Non datur necessario arrha; nam ut dicitur l. *Quod sæpe. 35. ff. de Contrah. empt.* « Quod

sæpe arrhæ nomine datur, non eo pertinet, quasi sine arrha conventio nihil proficiat: sed ut evidentius probari possit, convenisse de pretio. »

301. *Si datur ante contractum omnino perfectum, in signum et securitatem perfectionis faciendæ, recedi adhuc potest a contractu; sel tamen qui alterc invito discedit arrham perdit, vel duplum restituit.* — Resp. II. Si arrha ante contractum perfectum et absolutum datur in signum et securitatem ejusdem perfectionis faciendæ, non impedit quidem, quin contrahentes a contractu licite et valide recedere valeant: nihilominus si emptor sine justa causa, invito venditore resilit, arrham datam perdit; si vero sine justa causa, recedit invito emptore venditor, restituere debet arrham acceptam, et insuper de propriis tantum dare emptori, quantum valor acceptæ prius arrhæ efficit. Communis et certa. Textus expressus habetur prin. *Instit. h. t. ibi*: « Donec enim aliquid deest ex his, pœnitentiæ locus est, et potest emptor et venditor sine pœna recedere. Ita tamen impune eis recedere concedimus, nisi jam arrharum nomine aliquid fuerit datum; hoc enim subsecuto, sive in scriptis, sive sine scriptis venditio celebrata sit, is, qui recusat adimplere contractum, siquidem est emptor, perdit, quod dedit: si vero venditor, duplum restituere compellitur. » Idem habetur l. *Contractus. 17. c. de Fide instrum.* ibi: « Tamen qui vendere pollicitus est, venditionem recusans, in duplum eas (arrhas) reddere cogatur, et qui emere pactus est, ab emptione recedens, datis a se arrhis cadat, restitutione earum deneganda. »

302. *Contractu jam completo, et pretio soluto restitui debet arrha, nisi jam sit in pretium computata.* — Resp. III. Si consensu utriusque, vel casu, aut alio modo sine alterutrius culpa venditio dissolvitur, tenetur venditor acceptam arrham restituere, l. *ex empto. 14. § 6. ff. de Action. empti.* Pariter, et quidem a fortiori iterum restitui, vel saltem in pretium computari debet, si contractus totaliter est perfectus, et pretium solutum, arg. l. fin. ff. *de Lege commiss.*

303. *Si post perfectum jam contractum, sed ante rem traditam, et pretium solutum datur arrha, recedi adhuc posse a contractu, volunt plures.* — De hactenus dictis circa materiam arrhæ communiter conveniunt doctores. At vero gravissime controvertunt in decidenda questione de effectu arrhæ datæ post con-

tractum jam perfectum, et absolutum, re vendita tamen nondum tradita, et pretio necdum soluto: an nempe id efficiat, ut a contractu recedere liceat uni, invito altero: dummodo arrham vel relinquat, vel in duplo restituat? Fachin., lib. II. c. VIII. ac doctores Hispani plerique; Molina, disp. 338; Las., lib. II, *Singul. respons. c. XXIV*; Berlich, Palao, Jason, et plures alii volunt, pariter esse discurrendum, sive arrha datur ante, sive post perfectum jam contractum. Contra quos

304. *Eligitur sententia negativa.* — Resp. IV. Quando datur arrha in confirmationem vel signum contractus jam facti, seu contractus jam perfecti et absoluti, nulli contrahentium, invito altero, amplius licet a contractu resilire; etiamsi traditio rei nondum facta sit, nec pretium solutum; et etiamsi recedere volens emptor paratus sit, datam arrham perdere, vel venditor duplum restituere, Haunoldus, tract. X. cap. 1, controv. 8, n. 36, dicens ita sentire veriore, et communiore; Carpz., p. 2, constit. 33, defin. 14; Harprecht, ad prin. *Instit. h. t., n. 91*, et alii ab eodem ibidem citati. Probatum. Certum est, quod quando absque adjectione arrhæ habetur perfectus emptionis venditionis contractus, non amplius liceat uni (altero invito recedere a contractu, etiamsi venditor duplum pretium reddere velit, l. VI. c. *de Rescind. vendit.* ibi: « Non est probabilis causa, propter quam rescindi factam venditionem desideras. Quamvis enim duplum pretium oneras emptori, tamen invitus ad rescindendam venditionem urgeri non debet: » ergo neque ab eo jam perfecto discedere licebit, quando celebratur cum adjectione arrhæ: Consequentia patet; quia per arrhas non infirmantur, sed potius confirmantur contractus. Et certe absurdum videtur, ut per id, quod in robur, confirmationem, ac probationem contractus facti additur, contractus infirmetur, et robur alias habitum perdat, quod fieret subsistente contraria sententia.

305. *Solvitur objectio.* — Objiciunt adversarii dicendo contractus quidem non infirmari vi ipsius arrhæ, sed vi taciti consensus contrahentium: hi enim, hoc ipso, quod contractui addant arrham, tacite consentire, et innuere censentur, licere cuivis a contractu recedere, si arrham datam perdere, vel acceptam in duplo restituere velit. Sed respondetur, hoc omnino gratis et absque vero

juris fundamento dici, consequenter minime attendendum esse.

306. *Solvitur instantia.* — Instant. Arrhae non dantur nisi in signum emptionis jam factae et perfectae, prin. *Instit. h. t.* ergo ab eodem arrha confirmato recedere licebit, dummodo arrham amittere, vel duplum restituere quis sit paratus; cum id absolute concedatur cit. prin. *Instit. h. t. Resp.* negando ant. aperte enim ostendimus n. 300, ex jure, eam dari etiam in securitatem contractus faciendi, seu perficiendi a quo proin, non item a perfecto jam, licet arrha confirmato contractu recedere licebit.

X.

DE ACTIONIBUS EX EMPTO, ET VENDITO; AC IN SPECIE DE ACTIONE REDHIBITORIA, ET AESTIMATORIA, SEU QUANTI MINORIS.

307. *Jura emptori concedunt actionem empti ad consequenda ea, quae ei debet venditor; et huc actionem venditi ad consequenda, quae ex debet emptor.* — Constat ex dictis, emptionem venditionem esse ultro, citroque obligatoriam, ita ut vi illius ad quaedam obligetur venditor emptori, et hic ad quaedam illi. Quapropter jura utriusque actionem concedunt, venditori quidem actionem venditi, seu ex vendito ad consequenda ea, quae eidem debentur ab emptore: huic vero emptori nempe actionem empti, seu ex empto ad ea consequenda, ad quae eidem vi emptionis venditionis obligatur venditor.

308. *Actio venditi, seu ex vendito, quid?* — Queritur I. Quid sit, et ad quae detur actio venditi, seu quod idem est, ex vendito? Resp. I. « Actio ex vendito est, quae competit venditori ad consequenda ea, quae ei ab emptore praestari oportet, » sunt verba l. *Julianus. 13. § 19. ff. de Action. empti.* Oritur statim, ac de re, et pretio inter contrahentes absolute conventum est, § 1. *Instit. h. t.* institui tamen cum effectu non potest, antequam a venditore res tradita sit, l. *Qui pendentem. 25. ff. de Action. empti,* aut saltem pro tradita habeatur, ne scilicet pereuntia, l. *Cum emptor. 5. ff. de Rescind. vendit.* ubi: nomine mortuo perinde habenda est venditio, ac si traditus fuisset. »

309. *Ad quid detur?* — Resp. II. « Actio venditi competit venditori ad consequenda ea omnia, quae ei ab emptore praestari oportet, » cit. l. *Julianus. 13. § 19. ff. de Action.*

empti. Patet inductione. Sic imprimis datur ad consequendum « pretium quanti res venit: » cit. l. *XIII. § 20. item « usuras pretii post diem traditionis: »* ut ibidem dicitur. Tertio datur ad recuperandas expensas, si quas forsitan in res jam venditas bona fide fecit. l. *penult. c. de Action. empti.* Quarto si ex dolo emptoris venditor rem minoris vendidit, ac a parte rei valet, ut si emptor ei dolose persuasit animal vendendum esse morbosum, haereditatem exiguam, etc. competit venditori Actio venditi « quanti pluris » res vendita fuisset, si deceptio illa abfuisset, cit. l. *XIII. § 5.* Et quando universaliter ab ea cuncta, de quibus inter se contrahentes specialiter convenerunt; nam « nihil magis bonae fidei congruit, quam id praestari, quod inter contrahentes actum est. » l. *Ex empto.*

41. § 1. ff. *de Action. empti.*

310. *Actio empti, seu ex empto, quid et quando oriatur?* — Queritur II. Quid sit, et ad quae detur actio ex empto, seu empti? Resp. I. Actio empti est, quae competit emptori ad ea consequenda, quae ei a venditore vi contractus debentur: l. *Ex empto. 11. ff. de Action. empti.* Oritur statim, ac perfecta habetur venditio, § 1. *Instit. h. t.* donec tamen pretium ex integro solvatur, vel saltem realiter offeratur, cum effectu contra venditorem institui non potest, l. *XIII. § ff. de Action. empti;* ubi etiam ratio redditur, quia donec pretium solvatur, « venditor quasi pignus retinere potest eam rem quam vendidit. » Nisi forsitan fidejussorem, aut hypothecam dedisset emptor, aut alio modo satisfacisset, l. *Ul. res. 53. § 18. ff. de Contrah. empt. l. Procuratoris, 5. § 18. ff. de Tribut. action.* Aut credito rem vendidisset venditor, fidem habendo emptori sine ulla assecuratione, l. *Quod vendidit. 19. ff. de Contrah. empt.*

311. *Ad quae detur?* — Resp. II. Actio empti, seu ex empto datur ad omnia ea consequenda, ad quae obligatur eidem venditor, patet ex toto tit. *de Action. empti,* praecipue ex l. XI, ejusdem. In specie autem quaedam adducendo, datur imprimis ad ea consequenda, nominatim in contractu expressa sunt, cit. l. XI. ff. *de Action. empti.* « Quod si nihil convenit, tunc ea praestabuntur quae naturaliter insunt, » cit. l. XI. Tertio eadem petuntur fructus, commoda, emolumenta, et accessiones rei post contractum provenientes, per ea, quae dicta sunt supra n. 227. Quarto per eandem agitur, ut venditor de evictione

caveat, l. XI. ff. *de Action. empti.* § 2. Quinto hac actione venditor compelli potest, ut vitia et onera rei manifestet, l. *Ea quae. 43. ff. de Contrah. empt.* Sexto eadem actione emptor praetendit sumptus, quos in rem emptam fecit, casu quod illam iterum restituere debet, l. *Imperator. 16. de In diem addict.* Septimo hac actione etiam continentur actiones redhibitoriae, et quanti minoris tantum species sub genere, uti aperte colligitur ex cit. l. *Ex empto. ff. de Action. empti.* Verum quia de ambabus his actionibus specialia occurrunt, specialiter de eis agendum.

312. *Actio redhibitoria et quanti minoris unde originem habeant?* — Queritur III. Quid sit actio redhibitoria, et aestimatoria, seu quanto minoris? quando? qualiter? quibus? et contra quos serviant? Ponitur utraque haec actio sub uno quaesito examinanda majoris claritatis gratia: quia multum sunt affines, et dependenter ad invicem intelliguntur. Ante responsionem notandum aediles, curules, quorum officium erat sacras aedes et vias publicas curare, fraudesque a foro, et venditionibus arcere, Schardius, *Y. Aediles,* edictum proposuisse, vi cujus venditores aperire tenentur morbos, et vitia, quae in re vendenda latere sciebant, l. I. ff. *de Aedilit. edict.* Ex hoc edicto dicitur prodire actiones aedilitiae contra eos, qui edicto inobedientes, res occultis vitiis, morbis, aut defectibus infectas vendunt. Una dicitur redhibitoria, altera aestimatoria, seu quanto (sive quanti) minoris: quae in hoc potissimum differunt, quod prima, redhibitoria nempe, detur, quando tale vitium occultat venditor, ob quod ad usum finemque intentum inutilis vel quasi inutilis est res empti, adeo ut, si illud scivisset emptor, rem merito non emisset. Altera vero, aestimatoria nempe, seu quanto minoris adhibetur, quando vitium occultatum ita est constitutum, quod, etsi scivisset emptor, nihilominus emisset, minori tamen pretio, ut cum communi aliorum declarat Abbas, in c. *Injustum. 4. h. n. 2. n. 268.* et alii.

313. *Actio redhibitoria quid, cur, et contra quos detur?* — Resp. I. Actio redhibitoria est actio ex empto competens emptori contra venditorem ad redhibendam, id est, iterum habendam vel accipiendam rem venditam, et e contra ad pretium cunctaque in integrum restituenda, casu quo tale occultavit, vel non aperuit rei vitium, et defectum, aut morbosum, per quem res vel ex toto, vel nota-

biliter reddatur inutilis ad finem et intentum ementis, adeo ut, si scivisset emptor, non emisset. Ita desumitur ex l. *Cum autem, 23. § Julianus, et l. Facta. 60, et ff. de Aedilit. edict.* Dicitur autem redhibitoria ab effectu quem habet. « Redhibere enim est facere, ut habeat venditor, quod habuerit: et quia redhibendo id fiebat, idcirco redhibitio est appellata quasi redditio, l. *Redhibere. 21. ff. eod.* » Vocatur etiam « Judicium redhibitoriae actionis, » cit. l. *Cum autem, 23. § 7. ff. eod.* Datur non tantum emptori, sed etiam haeredibus ejus, l. *Sciendum. 19. § 5. ff. eod.* contra venditorem, l. *Si venditor, 28. et haeredes ejus, l. Cum autem, 23. § 5. ff. eod. ibi.* « Haec actiones adversus omnes haeredes competunt. »

314. *Actio redhibitoria non datur, nisi vitium sit notabile, et quidem corporis, non animi. Morbus et vitium quomodo inter se differant.* Resp. II. Ut haec actio detur, requiruntur plura. Et quidem primo, quod vitium occultatum non leve, sed notabile sit, et tale, ut ministerium, et usum, ad quem emitur, impediatur, vel saltem notabiliter deteriore efficiatur, consequenter in emptore illud merito verificet, quod, si scivisset, non emisset, l. I. § *Proinde. 8. de Aedilit. edict.* Secundo debet esse vitium corporis, « quoniam Aediles de corporalibus vitiis loquuntur, cit. l. I. § 10. Si autem corporis et animi mixtum vitium est, redhibitio locum habet, ff. 4. § 4. ff. eod. In summa, siquidem animi vitium est, redhiberi non potest, nisi, dictum est, hoc abesse, et non abest. cit. § 4. »

Porro quamvis ob occulta animi vitia, non detur actio redhibitoria proprie talis, « communi tamen actione ex empto agi potest, si sciens vitium animi retinuit, cit. l. 4. § ff. eod. » Caeterum an morbus sit, an vitium in actione redhibitoria, non attenditur; licet alias morbus et vitium inter se differant, l. *Inter. 101. ff. de U. S.* ubi dicitur, « morbum esse temporalem corporis imbecillitatem; vitium vero perpetuum corporis impedimentum, velut si talum excussit: nam et luscus itaque viliosus est. »

315. *Contra venditorem qui ignoranter vendidit rem vitiosam, non datur actio redhibitoria.* — Tertio requiritur, quod venditor sciverit latens vitium; quia contra ignorantem venditorem non datur actio redhibitoria, sed quanto minoris, l. *Julianus. 13. in prin. ff. de Action. empti.* nisi error sit in substantia; vel nisi vendatur fundus ad pastum anima-